



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. XV. Argumentum. Telemachi & Philoctetis coniunctio. Huius fata ante  
& post Herculis obitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

turo Telemacho, quantum & ad felicitatem populorum & ad boni Principis laudem stabiliendam regnandi prudentia afferat.

## TELEMACHUS.

### LIBER XV.

**I**Nterea Telemachi fortitudo in belli discrimini-  
bus enituit. Salentô profectus diligenter se  
dabat quærendæ eorum benevolentia, qui sub  
galea canuerant, quosque perfecta scientia pugna-  
rum ad apicem evexerat militaris gloria. Nestor  
perpetuam amicitiam cum Ulyssæ coluerat. Itaque  
non secus atque ipse genuisset, Telemachum ha-  
buit. Tradebat ipsi præcepta, adiectisque exem-  
plis roborabat. Nec qui in iuventutem suam inci-  
dissent casus, omisit, ceteraque, quæ ad postero-  
rum memoriam vidit ab Heroibus superiorum  
ætatum geri; quarum quidem omnino tres vixe-  
rat; adeò nihil inde eius offensâ memoriâ, ut nec  
æra, nec marmora maiorem fidem antiquorum mo-  
numentis præstiterint.

At Philoctetes à Nestoris benevolentia in Itha-  
cum initiò longè abierat. Clam Ulyssæm fuit, diu-  
que averfatus. Igitur nihil amicior filio, permo-  
lestè tulit, quidquid videbantur Dii propensius  
moliri, ut hunc iuvenem in gradu virorum, quos  
decus vastatæ Troiæ iamiam immortalitati initia-  
verat, collocarent. At cessit tandem modestiæ  
Telemachi Philoctetis invidia. Non poterat non  
amare tam mansuetum, tam moderatum in iuvene  
animum. Sæpe illo seorsim abstracto: Equidem  
fili, inquit (id namque nominis tibi haud tribuo  
invi-

invitus) diuturnum mihi fuit cum genitore tuo diffidium. Gliscebant vel extinctis iam Pergamis scintillæ fatalis odii; cùmque in conspectum meum veniebas, grave mihi erat virtutem amare in Ulyssis filio; neque semel castigabam meum hunc animum. At vincit denique tranquilla, simplex, moderata virtus, quidquid ei adversatur. Solitarii subinde congressus Philoctetem ad funestæ dissensionis cum parente causam commemorandam paulatim deduxerunt.

A capite, inquit, exordienda sunt, quæ mihi contigere. Adhærebam ubique locorum comes magno Herculi, tot monstrorum domitori; cuius magnitudini non magis Heroes comparantur universi, quàm arundo quercui, aut trochilus aquilæ. Ut omnium tragicorum casuum, ità & nostrorum origo amor fuit. Hercules tot monstris superior, succubuit turpissimæ voluptati. Sævi Cupidinis ludibrium, erubescere scilicet, quoties reminisceretur, se usque adeò profanasse gloriam suam, ut assidens Lydiæ Omphalæ, ritu sordidatissimi mancipii & omnium, quæ amavere, postremissimi; ancillarum pensa ductis ex colu filis obiêrit; tam impotenter scilicet amabat. Et sanè haud aliàs quidquam apud me deflebat frequentius, quàm hoc facinus virtutis suæ multum, plurimum illustrissimis laboribus dempsisse. Vos autem, Dii, nostis, id esse humanæ inconstantia, quæ dum blanditur firmitati suæ, infirmatur ad minima. Vah! magnus Hercules repetebat amoris iugum eiuratum toties. Amabat Deianiram. Beatum palnè hominem, amare si hanc perseverasset confortem thori. At Iole, cuius adolescentiam forma-

verant Gratia, depravabat Herois animum. Amatur. De quo cum Deianira dolet acerbius: meminit prodigiosae tunicae, quam Nessus, Centaurorum unus, ipsi iam moriturus relinquebat praesentissimum remedium ad amores Herculis resuscitandos, quoties suspicaretur, se relictam implicandum alienae. Ceterum haec tunica sanguine Centauri tincta venenum imbiberat, quale sagittis, quibus hoc monstrum perierat, vim inferendae necis inseruit. Nosti autem, sagittas Herculis, quae Centauri perfidiam multarunt, sanguini Lernaeae hydræ immerfas eam traxisse pestem, ut vulnera, quae infixisset, medicandi opem respuerent.

Hercules ergo simul tunicam induit missam, simul ignem viscera ipsasque medullas pervadentem sensit. Unde doloris impatiens erumpit in horrendos eiulatus, ab Oetae scopulis valliúmque profundis repercussos. Credidisses illis concitari pelagus; neque enim mitiores sunt, quos in arena tauri mugitus edunt. Lycas tunicam à Deianira attulerat, qui cum ausus esset furibundum accedere, ab eo, efferato doloribus, corripitur, nec difficilius, quam à funditore destinatus ad longiorem iactum lapis, in aëre libratur. Ruit infelix Lycas de montis cacumine, elusus valida Herois manu; praecipue in mare, commutatur in petram, humanae formae ad hoc tempus retinentem, & à vehementia fluctuum, quibus assidue percutitur, rei nauticae peritioribus etiam longinquos facientem metus.

Cautior ex Lycae interitu cavendum mihi Herculem duxi; quærebámque occultissimas latebras. Vidi ego his oculis, cum altera manu correptas  
altif-

altissimas abietes, & multorum retro sæculorum iniuriâ superiores, evellere non maiore negotio, quàm nos evellimus stipulas; altera infelicem illam pestem, tunicam, ab humeris nequicquam amoliri. Quippe tam pertinaciter inhærentem, ut videretur accrevisse corpori, discerpens, magis ac magis ipse vulnerabatur, cute carnibusque sequentibus avulsas partes tegumentis. Manabat ex dilaniatis artibus cruor, eoque profluente squallebat humus. Tandem strenuè collecto ex doloribus animo: Tormenta, exclamat, quibus me exanimari Dii sinunt, Philoctete, vides. At ipsi iusti; ego vero iniquus & reus sum. Neglexi fidem, quam debebam coniugi. Tantus victor victas dedi (prò dedecus!) alienæ pulchritudini manus. Morior; & libet: irasci ut desinant offensi Superi. At tu quò, amice, fugis? Dolorum magnitudo fuit, ut in Lycam crudelis existerem; & huius nunc pœnitet. Nesciebat miser, quam ille pestem mihi. Indignum fuit, quod intuli. Tu verò oblivisci me credis posse necessitudinis, & insidiari tibi? Ah numquam erit, ut Philoctetem non amem! ille hunc spiritum trahat ex labiis, in quibus iam hæret: ille legat cinerum, in quos nunc abibo, tristes reliquias. Ubinam ergo tu loci? huc ades amice, huc Philoctetes, spes unica, solatium unicum, quod nondum Astra mihi!

Movebant hæc lamenta, ut procurrerem in furentis auxilium. Aptare ille in amplexum brachia. At veritus, ne, qua ipse deflagrabat, luem ex nexu attraherem corporum, hoc repressit se gemitu: Ah nec istud iam licet solatii! Atque inter hæc verba solò paulò ante extractas arbores comportat: in

apice montis aggerit : in iis se collocat æquissimo animo : Leonis Nemæi exuvias explicat, diuturnum humeris tegumentum, cum extremas terras monstrorum excidio, salutis miserorum peragraret. Tum applicans clavæ innixum corpus, succendere me ligna iuber.

Palpitabant pavidæ manus in crudele obsequium ; sed neque negare id poteram tam calamitosum spiritum trahenti, ut nihil iam esset, quod vitam suam gratularetur Diis. Verebar etiam, ob incredibiles angustias ne quid ageret admiratione, quam rerum gestarum gloria orbi extorferat, indignum.

Ut autem vidit ignem concipi lignis, auctiore sono vocis : Nunc, Philoctetes, inquit, manifestè amas, quia mavis florere in posteris Herculem, quàm vivere. Referant Diis. Ego verò tibi, quod in terris habeo pretiosissimum, has sagittas transcribo. Lernææ hydræ cruorem biberunt : unde nosti sanari non posse, quod lædunt. Quàm me, non minùs invictum terribilemque universo mortalium generi te reddent. Memento Herculem in fide mori, & quantum amaverit te, recordari semper. At si te miseria amici verè movet, & iniquam sortem eius doles, hoc, quæso, solatium ultimum morituro adhibe. Promitte mihi, te nec mortem meam, nec ubi cineres meos deposueris, ulli mortalium, dum vixeris, indicaturum. Promisi, & prò dolor ! cum detestatione quidem, ingenti lacrymarum vi effusa in rogum, quo erat periturus. Emicabat tum ex vultu eius acrior lætitia ; cum subito involvitur erumpente flamma, vocèque intercepta ferè oculis subducitur. Videbam eum aliqua adhuc

ex

ex parte, mediis scilicet flammis permittentibus aspectum; eratque tum vultu ita strenuo, ita exporrecta fronte, ut inter solennia gaudia in corona amicorum fertis odoribusque cinctum putâsses exultare.

Quæ perire in Hercule poterant, celeriter flamma absumpsit, nihil relinquens eorum, quæ nascens ex Alcmena acceperat. Ceterùm volente Iove subtilem naturam illam & immortalem retinuit, illumque de cælo igniculum, qui vera origo est vitæ, & unius opus omnipotentis. Hunc ergo unâ Olympo subvexit, epoto Nectare initiandus immortalium cœtui; accepitque à Diis Heben nuptui, mira venustate & iuventutis Deam, ac inter epulas olim ante Ganymedem Iovis, cùm biberet, ministram.

Deinceps ab Herculis obitu perpetuos dolores mihi creârunt sagittæ, quas ut omnium Heroum decus superarem, ille tradiderat. Factum haud multò post, ut iccto fœdere nefandum Helenæ raptum vindicare reges decreverint, Priamique regnum exscindere. Verùm edita fors ab Apollinis oraculo, nisi in castris Herculis sagittæ fuissent, finistrum bellum futurum.

Ergo Ulysses genitor tuus, ut erat consilio summus, industria maximus, negotium suscipit me inducendi, ut expeditioni interesse statuerem, sagittasque eò perferrem, quas, quod sciret, haberem ego. Diu erat, cùm Hercules nusquam apparebat terrarum. Nihil de eo celebrabatur novi facinoris: impunè profiliebant ex latebris monstra, & monstris deterior hominum improbitas. Hærebat rei incerta Græcia, aliis affirmantibus vixisse, aliis

contententibus, ad frigidam Arcton versum, bel-  
lúmque Scythis moliri. At Ulysses haud dubius,  
abiisse è vivis, ex me, quod verum esset, obtinere  
constituit. Nondum dolor refederat ex Herculis  
interitu, cùm ille pervenit ad me. Sine vexatione  
adiri non poteram. Gravius enim mihi erat, quàm  
ut Oetæ solitudines bustúmque amici facilè dese-  
rerem. Damnatis omnibus occupabar duntaxat in  
depingenda animo imagine tanti Herois, provo-  
candisque lacrymis ex locorum aspectu, quos con-  
ficios tam tristis fati cœlum voluerat esse. At vis  
& dulcedo suadæ, quanta demum cunque est, in  
ore genitoris tui habitabant. Videbatur dolere  
dolorem tantùm non meum. Flebat. Inveniebat  
denique viam, paullatim influendi in hunc ani-  
mum, meamque in se accendendi fiduciam. Inci-  
piebant sermone eius mihi miserabiles esse Græciæ  
Principes, quos aiebat pium, at me sine funestum  
bellum suscipere. Mortem Herculis autem à me  
frustra sollicitavit, quippe quam tegere iubebat  
iuratum silentium. Ceterùm de ea nihil porro  
ambigebat; cœpítque perimpensè rogare, ubi  
Herois urnam deposuissem.

Eheu! averfabar periurium: manifestabam ta-  
men, quod prodere non poteram sine periurio.  
Quod affirmaveram Deorum interposita fide, cùm  
violare non auderem, insidiosè conabar eludere;  
rectè ab iisdem vindicatum. Pede scilicet tetigi  
locum, ubi combusti reliquias cadaveris posueram.  
Hoc factò ducor ad fœderatos reges. Nec ipsum  
Herculem excepissent lætiores. Traicimus in  
Lemnon insulam; ubi quanta sagittis meis inesset  
virtus, ostensurus in exercitu, damam, successuram

in

in nemus, ferire aggredior: cùm ecce telum per incuriam ab arcu defluit, perstrictoque crure vulnus infligit, cuius adhuc perseverant reliquæ. Protinus ea percutiebar acerbitate sensus, cui ferendæ Alcides non fuit. Complebam diurnis nocturnisque clamoribus infulam. Afflicta pars corporis manabat atro cruore & transeunte in saniem; infectoque aëre tam gravem odorem Græcorum inferebat castris, qui robustissimum quemque prohiberet spiritu. Ingens ergo fuit omnium militum consternatio, cùm extrema me viderent pati: credebantque à iustis Diis hæc mihi plagam immissam.

Tam iniquis rebûs Ulysses, auctor itineris mei, me primus omnium destituit. Atqui id mihi postea manifestum erat egisse, quòd publicam Græciæ salutem victoriamque omnibus amicitia commo- dique sui momentis anteposuerat. Vacabant enim aræ: cessabant sacrificia: horror vulneris mei indeque trahendi veneni, clamandi item acerbitas militem turbaverat. Destituebar ergo suadente Ulysse ab omni Græcorum exercitu; quæ quidem ratio civilis prudentiæ plena crudelitatis & petulantissimæ fraudis mihi visa. At ô miseram Philo- tetis cæcitatem, qui tunc non viderim, iure humanam sapientiam cum iratis Diis mihi reluctari!

Sub Troianam obsidionem ferme totam solitari- us fui, nudatus auxilio, destitutus spe, egenus omnium, quibus vel delectari vel levari consuevit humana calamitas. Dolores etiam ultimi præter squallorem loci, qui nihil admittebat ad hanc aurem, nisi concitati maris offensique scopulis fremitum. Antrum inveni media hac solitudine, vacuum

humano cultu, & recedens sub saxo, quod inde atque inde cornua erigebat capitis in modum. Carebant vitio perennes aquæ, quæ ex eo manabant. Ipsam verò specum feræ occupaverant, à quibus perpetui in me allapsi metus. Congerebam folia molliendo fomno. Reliquiæ fortunarum mearum erant poculum ex ligno rudi opere, & vestes quædam, ex longiori usu ineptæ ritè tegendo corpori; quas ad reprimendum sanguinem, obligata multata parte, atque ad tergendum vulnus adhibebam. Itaque proiectus extra opem hominum & favorem Deorum, tempus strage palumbium consumpsi, earumque volucrum, quarum frequens circum illam petram volatus erat. At si forte deieci ex aëre, quod esset in prandium, subeundus dolor erat, cum inclinarem corpus ad tollendam humo prædam. Ita, unde viverem, tum paraverunt hæ manus.

Cibaria quædam prius, quàm abirent è Lemno, Græci mihi reliquerant; ceterum non poteram diu ex iis ali. Ignes conflictu tritumque filicum elicui. Hoc vivendi genus, quantumvis horridum, nisi pertinax dolor aggravâisset, & pertinacior miseræ conditionis meæ memoria, tantum abest, ut fuisset averfatus, ut duxissem etiam oblectationi, quoniam mortales à me removebat tam inanes recordatione beneficiorum, quàm plenos fraudibus. Sæpe indignatus animo: Itane, aiebam, itane oportuit Philoctetem deserere? Philoctetem creptum patriæ velut eius vindicandæ instrumentum unicum, destituere in hoc exilio, & destituere, cum artus sopore resolveret? Somno enim vacabam, cum Græci classem auferrent ab insula. Unde intel-

intelligis, qua perturbatione fuerim, quo fletu oppressus, cum viderem è somno mihi redditus, patrias naves deserta statione in altum rapi. Graffabar per insulam: scrutabar locos immanes deterrimósque aspectu; at in meas duntaxat ærumnas incurrebam.

Hæc insula non portu naves, non peregrinos mercium causâ accipit, nec ex iure, quod hospitibus commune, tuetur; ipsúmque littus nemo attingit hominum proposito itinere. Ibi nisi ab inclementioribus undis eiectos haud repereris; nec alia atque naufragantium societate potiêre. Sed neque huc appulsi audebant me admittere in navem & referre ad meos partim Deorum, partim Græcorum metu. Decem ipsos annos & ludibria, & angustia & fames mihi perferenda erant, aliàs infanabili vulnere ipsâque inutilitate sperandi penitus exhausto, atque confecto.

Fortè à colligendis ad mitigandum vulneris dolorem herbis redibam: cum insignis speciei iuvenem in antro meo intueor. Præferebat herois habitum. Achillem loquebatur lineamentorum conformatio, forma, incessus; nisi quòd levior ætas contradiceret. Deprehendi in ore eius notas miserantis & perturbati animi. Vehementer dolebat, tam molestè, tam lentè à me ægrum corpus trahi. Acutusque & miserabilis eiulatus meus, ab universo littore reiectus multiplici sonò, eum adducebat in gemitum.

Ego nondum illi vicinus: Quæ te fors, exclamabam, in hunc incultum locum? Novi & adhuc amo Græcum habitum. Ut iuvat audire vocem tuam, & ex ore tuo illos sonos, ad quos linguam  
meam

meam accommodavi à teneris, hac autem in solitudine, tam distractus diu ab usu hominum, verba conformare non potui! Meus hominis infelicissimi aspectus, quæso, horrore ne sit, sed incitamento miserendi.

Neoptolemus erat; qui simul Græcum se profitebatur, simul ego: O dulce verbum, quod tot annorum silentio & numquam levatis doloribus meis interferis! Quæ fors, mi fili, quæ iniquitas, imò quæ aëris clementia huc te mihi, calamitatis meæ, quam vides, allaturum finem? Ille: in Scyronatus, Scyron redeo. Filius Achillis habeor. Ecce tibi, quæcunque nôsse ex me potes.

Avebat plura cognoscere tam diu suspensa curiositas. Itaque: tu verò (aiebam) fili parentis tam magni, tam mihi, tam Lycomedi altori suo dilecti! quomodo huc ad me? ain! Ille asseribat se ex castris Græcorum venire; mequæ obiciante, ipsum in exercitu, cum primò tenderetur in Asiam, non fuisse, quærebat, ubi tunc ergo egissem? Tu verò, respondebam, Philoctetis & nomen & adversas res videris ignorare. Heu miserum me! cuius fortunam inimici crudeliter onerant. Nescit Græcia me pati. Heu gliscit dolor! per Atridas (quod referant Dii!) per Atridas sum miser.

Subiunxi deinde furtivum discessum classis nostræ, additis querelis; quas ubi desieram, ille pertexens ex suis: Post mortem Achillis, inquit; --- interpellans ego: post mortem Achillis? patere, fili, turbari sermonem tuum his lacrymis, Achilli quas debeo. Quin meo turbabis solatio; ita Neoptolemus. Quàm volupe Philoctetem intueri Genitoris illacrymantem funeri!

Tum

Tum regressus adolescens ad initia narrationis: Post mortem Achillis Ulysses cum Phœnice me venit conquisitum, asseverans, me absente Troiam numquam futuram Græcorum. Facile sequebar monentes, quippe impulsus & dolore paternæ cædis, & ne tam celebri bello nihil de tanti Herois gloria in hæreditatis vicem mihi veniret. Attigi Sigæum. Illico circumfusus adveniēti miles iurat in me Achillem revixisse. At (prô dolor?) haudquaquam revixerat. Tyro eram non ætate modò, sed usu quoque rerum; neque dubitabam tamen omnia mihi polliceri ab iis, qui adventum meum tanto opere celebrabant. Genitoris arma ab Atridis postulo: cùm ferox responsum ab his: habiturum, quæ reliquisset Genitor; ceterùm arma Ulyssi destinata esse.

Non tenui doloris impetu lacrymas; quibus tamen nihil motus Ithacus: Discriminum, inquit, diuturni belli exfors & puer, non eris particeps tam illustris spoliis. Æquo maiora iactas, & grandiora postulas meritis. Obtinebis numquam. Ergo multatus optima hæreditatis parte Ulyssis iniuriâ, in Scyrum redeo maiore in Atridas, quàm Ulysses conceptâ ira. Dii ament, istos qui oderit! Hæc sunt, quæ scire ex me potes.

Scitabar postea, cur tantam iniuriam Ajax Telemachon non averterit. Vixit, inquiebat Neoptolemus. Et ego cum clamore vociferans: Vixit? & adhuc Ulysses vivit? Imò, adolescens pergit, floret in exercitu. Ad varias deinde quæstiones prolapsus sciendi cupiditate, peto, quid Antilocho ageretur Nestoris filio? Quis se haberet ab Achille quondam dilectus Patroclus? Et utrumque obiisse  
audiens,

audiens, resumpto planctu: Quid? aiebam cum gemitu! obierunt? funestum cheu nuntium! Itane mors desævit in bonos, parcit iraprobis? Ulyffe salvo, quod ais, & Therfites utique adhuc fuerit incolumis. Hæc agunt Dii; & laudari à nobis volunt?

Protrahenti indignationem in parentem tuum, pergat Neoptolemus imponere, addens dolentis specie: Dii me procul à Græcorum exercitu, in quo parere improbitati iubetur integritas. Melius erit mihi in pessimis Scyri locis. Vale. Ab eo. Sanent te Dii!

Ad hæc ego concitatiore voce: Per ego te genitoris manes, per dulcissimam parentem adiuro, per quidquid charissimum in orbem tibi; in hoc exilio, his in ærumnis, quas pati me vides, ne Philocteten destitue. Equidem intelligo, quanto futurus sum oneri. Sed & miserum deserere Græcis habetur dedecori. In proram, in puppim, in ipsam adedò carinam, aut ubi minimè tibi tuisque molestus erit, Philocteten mitte, abiice, deprime. Præter magnanimos, quàm gloriosa clementia, nemo intelligit. Eripe me hoc sterili solo, ubi nec cultus humani vestigium. Fac seu insulæ, in qua es genitus, seu Eubææ adire littus queam, quod non procul ab Oetæ iugis Trachinæque, Sperchii fluminis riparumque oblectat spectaculum. Redde me parenti meo, quem heu! quàm vereor, mortuum lugere ne debeam. Moneri curabam, navem ut mitteret. Aut occubuit; aut fefellere, qui promiserant se monituros. Unus iam superes, fili, derelicti Philoctetis Asylum. Memento, quæ rerum humanarum mobilitas. Felix es. Ne miser esse

esse merearis felicitatis abusu, time; & succurre alienæ miseriæ.

Hæc doloris magnitudo expresserat. Promissõ locõ in navi, qua erat abiturus; redii, sed lætiore vultu, ad gemitus: O lux, ter fausta lux! & tu flos vernantis adolescentiæ, dulcis Neoptolome! Assurge, quod mereris, assurge in paternæ gloriæ fastigium. Sinite, quæso, qui liberatorem hunc meum comitamini, valere nunc iubeam exilii mei has tristes sedes. Aspiciate, qui me adhuc retinuerint loci. Inde quid perpeffus, cogitate. Tuli, quæ nemo potuisset alius. Ferre scilicet necessitas docuit, magistra eorum, quæ aliàs perpetuõ ignoraret mortalitas. Rudes sunt, quos numquam sinistra fortuna exercuit. Bona & mala in eodem ponunt gradu. Laborant vera cognitione & sui & aliorum. His dictis sagittas meas cum arcu sumpsi.

Continuõ Neoptolemus precibus à me eblan-  
diri copiam earum osculandi, quoniam tam essent illustres & sacræ ex invicta Herculis manu. Ego verõ: Quæ libent, age. Per te, fili, per te lumen, patriam, paternos canos, propinquos, méque ipsum recipio. Tange arma, quæ ego à fortitudinis miraculo; tange, & ex eo gloriare totius Græciæ unus. Neque cunctatus iuvenis antrum subiit, acturus quæ permittebam.

Interea præceps & acutus dolor primõ rationis tentavit usum, deinde eripuit. Postulabam ferrum decutiendo cruri. Fremebam cum eiulatu: Quousque torquebis inania desideria mors provocata toties? Admove mihi, quas ego Herculi, faces, iuvenis! dehisce tellus! absorbe mortis ligatam  
victi-

victimam. Lapsus ab his angustiis sum in consueta deliquia animi. At sudoris ingens vis relaxabat malum. E vulnere profluebat atro colore & depravatus cruor. Quid erat Neoptolemo facilius, quàm, me alienato à sensibus & colluctante cum deliquiis, auferre tela, avehere? sed Achilles mendacem non generat.

Redditis sensibus adverti eum in magna perturbatione esse. Gemitus ferè edebat, quales solent, qui, quæ simulant, celare non possunt. Tùne Philoctetem decipere? quid agis? Hæc præcipitanti mihi: In castra, inquit, mecum ibis. Et ego: Quid est, quod dicebas, fili? Arcum redde. Proditus sum! ne tu vitam mihi! Ille tacere, leniter aspicere, moveri nihil. Vos, littora, vos, qui insulam hanc præcingitis scopuli! vos infelici mihi tamdiu contubernales bestia! vos montium cacumina, quæ humanos gressus non admittitis, ah! quæstus meos admittite; quoniam vos præter non est, iniurias deplorantem Philocteten qui audiat. Domestica vobis iam sunt mea suspiria. Itáne ludar Achillis filio? prædo Divini ab Alcide spoli Troiam me abripit succubiturum sibi; non memor, victorem meî parem esse congregienti in pugnam cum cadavere, umbra, simulacro. Provocasset utinam Philocteten adhuc integrum! quamquam ne nunc quidem vi, sed dolô aggreditur. Quid faciam? redde, fili, redde. Æqualem genitori te exhibe, æqualem tibi. Quid dicis? taces? Cautes Marpessia! hæccine tu nudo, egeno, derelicto, famelico? tumulabit me hæc caverna. Direptus cœlesti telô, feras quo perimam; perimendus ipse pascam ferinam rabiem. At tu, chare, melior

melior videris mihi, quàm ut agas dolò: mali nil cogitas. Redde, quæ mea: apage!

Tum Neoptolemus voce paulò demissiori, uberimòque fletu: Scyron, inquit, utinam deseruerim nunquam! Nondum inane votum finierat: cùm ego clamore, qualem attoniti edimus: Vah! quid video? Ulysses? Et hic notæ vocis sono respondit: Ulysses. Ipse avernalis horror quantumlibet Diis intolerabilis visu, minùs terruisset, quàm Ulyssis aspectus. Aucto igitur fremitu inclamabam: Testis tu, Lemne, mihi, infelix solum! Et vos, Phœbei ignes conscii! hæc pati? His nihil offensus ille: Iovis, inquit, imperium est. Iovi pareo. Tūne tritâ mendacis linguâ (ita confutans ego) Iovis profanare vocabulum? Viden' hunc iuvenem, cuius ineptum ad inveniendos dolos torques imperatîs fraudibûs animum. At Ithacus: adventus noster nec fraudi erit, nec noxæ tibi. Adfumus, ut per nos liber, sanus, particeps futuræ ex vastato Ilio gloriæ, atque tua deinceps in patria sis. Ut non Ulysses, sed Philoëteres Philoëteri est hostis!

Tum verò tantis in genitorem tuum contumeliis probrisque debacchabar, quantum erat irritati stomachi & furoris ingenium. Quid me turbas, aiebam, Philoëtetis desertor, & desertorum caput? I, labora, suda, alge non modò ut vincas heroum decora, sed & illecebra vivendi Paridem. I, frueri, quidquid cum Atridis fortuna tibi dabit; miseras, dolores relinque mihi. Eequid me cogitas abducere, umbram, mortuum, occisissimum? Cur aliud hodie, atque ante tuum ex Lemno credebatur abitum: me scilicet nisi cum religionis &

U

alra-

altarium interitu hinc vobiscum abire non posse? Vah Ithace! vah malorum meorum origo fœcunda nimis! Quàm te Dii, velim! --- At Diis non audior, qui augent hostis rabiem mei. Ah dulce solum patriæ, qua perpetuò carebo miser! Tu, si quod es, quod fata reliquerunt Philoëteri, æquum Numen! tu Ulyssen plecte. Tunc enimvero me salvum quamquam miserrimus reputabo.

Hac grassantem maledicendi libidine pater tuus adè non tulit iniquo animo, ut miserentis etiam habitu aspexerit; imitatus sive morem eorum, qui, liberi ultionis industriâ, moderatè tolerant levântque efferatam adversis licentiam, sive rupem præcellsam, quæ altitudini confisa suæ ridet, invictâque sustinet infaniam ventorum, dum fatigati conquiescant. Ulysses certè nec voculam reposuit, sed expectabat, dum concitata menti rediret tranquillitas; fati prudens, impetus animi, si coërcere sit libitum, nisi consumptis paulatim viribus languescant, necquidquam coliberi. At verò ubi primum sensit mentem paulo æquidorem esse, decedente ira; hunc cœpit in modum: Quò tua se, Philoëtes, ratio, quò virtus abripuit? utrâque, nisi cares, nunc utere. Recusas sequi, insuper habito, à Iove te constitutum ministrum magni consilii? Recusa: mane. Atqui te sic indignum efficies, cui libertatem debeat patria, ruinam infestæ sibi urbis Græcia. Manebis ergo. Ego verò cum his armis ibo ad capeffendam gloriam, quam fata destinaverant tibi. Age, Neoptoleme, eamus. Perdidimus operam: lapidi loquimur. Sævitia fit ita misereri unius capitis, ut Græciam totam sinamus periclitari.

Tum

Tum enimverò me quàm Leænæ incessit haud  
levior rabies, ereptis catulis rugitu opplentis fal-  
tus. Tu plena horroris caverna (ita antrum invo-  
cabam) tu sedes vivo, tu & tumulus eris consum-  
pro Philoëteri! Tu doloris mei receptaculum;  
quod pro alimenti facultate spes meas alit. Huc  
cultros, quibus hoc pectus fodiam! huc milvi,  
accipitres, & me, me, inquam, abripite! parcer  
vobis in posterum hæc manus. O arcus! ô pretio-  
sum, ô ex Iove nati sacratum pignus manu! Si tibi  
quis superest, Alcide, sensus, non irasceris? En  
fideli amico erepta tela! in Ithaci fraudulentas &  
impuras transierunt manus. Huc in posterum, ad  
antrum isthoc meum, viventes rapto aves! huc in-  
domitam rabiem numquam posituræ bestię! Nihil  
iam timoris, iam nihil noxæ habet hæc inermis  
manus. Adeste! vestrum en me pabulum! imò  
ignibus en tuis obvium hoc caput, Deorum homi-  
numque immitis Pater!

At genitor tuus postquam diligenter adhibuif-  
set, quæcunque persuadendo humanum ingenium  
poterat invenire: optimum denique ratus, arma,  
quæ auferre cogitabat, reddere, Neoptolemmum  
monuit. Qui cùm illico paruisset; armis traditis,  
quibus tam prolixè metuebam, permovit, ut in  
hæc verba gratias agerem: O qui & mereris &  
probas esse te Achillis filium! Sine inimicum meum  
percutiam. Et iam ibam in sagittæ iactum: cùm  
ab interveniente Neoptolemo his acerrimè dictis  
reprimor: Furor tibi abstulit animū, abstulit  
consilium. Non vides, quantum moliare nefas.

Ceterū tam non movi Ulyssē armatus fata-  
libus telis, quàm probris. Quid? quòd tactus

ipse constantia & longanimitate eius, erubui infan-  
num impetum, quo arma expediebam in illum,  
qui reddiderat. At, perseverante iracundia, hoc  
ipsum urebat me, quod arma deberem viro, quem  
acerbissimè oderam. Interea Neoptolemus: Scito,  
inquit, divinum Helenum de Priami sanguine,  
postquam Deorum imperio monitúque Troiam  
deseruit, nobis futura significâsse, Iliúmque desi-  
turum tum primùm, cùm invaderetur ab eo, cui  
Hercules arma sua credidisset; quem ipsum non  
nisi ad Troiam & ab Æsculapii filiis sanandum  
fore.

Hæc verba, simul ut erant prolata, mentem  
meam vehementer distrinxerunt. Trahebat Neo-  
ptolemi candor, restituentis, quæ in Oeta accepe-  
ram. Contra libuit pertinaciter nescire, cederémne  
Ulyssis desiderio; inconsulto pudore implicante  
animum & suggerente: méne cum Ulyssè, cum  
Atridis esse? quid homines tum de me?

Ambiguum consilii vox humanâ maior advertit.  
Hercules aderat, illustri vectus nube, ambientibus  
radiis; vultus mediocriter austerus, artus robusti,  
morésque & gestus nulla adsciti arte: quæ quidem  
facilè à circumfusa luce discrevi. Augustior  
tamen formam, quàm cùm domaret monstra,  
præ se tulit. Ille prior locutus: Herculem &  
audis, inquit, & vides. Deserto Olympo huc veni,  
ut Iovis ex me intelligas effatum. Quanti Alciden  
immortalitas steterit, ignorare non potes. Sequen-  
dus tibi Achillis filius, & persequenda mea ad glo-  
riam vestigia. Sanaberis. His sagittis auctorem  
tantorum malorum, Paridem, feries. Expugnata  
urbe, Pæanti genitori tuo pretiosa spolia mittes  
in

in Oetam montem, futurum ad busta mea insigne partæ armis meis victoriæ monumentum. Tibi verò, Neoptoleme, denuncio, nec te sine Philoctete, nec illum sine te victorem futurum. Agite! ite, & Leones gemini estote, qui unà investigant prædam. Erit, quod faciam, in Troade Æsculapius, Philocteten qui fanet. Siquid aliud, religionem ama, observa, Græcia! Transeunt cetera; perennat religio.

His auditis exultabam ovantis in morem: O felix, o amœna lux, quam tot annorum discussis tenebris meliorem recipio. Habes obsequentem me. Supremùm salutatis hïs sedibûs abeo. Vale chara specus! valete, per irrigua hæc prata ludentes Nymphæ. Non accipient hæc deinceps aures, quos innoxia maris iræ vobis admurmurant, susurros. Valete littora, quæ doluistis toties Philocteten severioribus auræ incommodis premi. Valete vos in altum procurrentes scopuli, fidele, sonô multiplicandis gemitibus meis auxilium. Valete dulces scatebræ, sitis tam amarum adiuventum meæ! Et tu denique Mulcibero amata tellus, vale! Dimitte sine noxa diuturnum tuum, Deorum amicorûmque voluntati obsequentem, incolam.

Sic discessum ab insula, ventûmque ad obsessam urbem. Divinis Podalirii & Machaonis artibus, quas ab genitore Æsculapio didicere, aut sanitatem debeo, aut certè hanc reparati corporis conditionem, in qua me nunc vides. Vulneris nec extat dolor, nec aliud, ex integro receptis viribus, vestigium, nisi quòd leviter in incessu peccat tibia. Paridem stravi eum ferè in modum, quo hinnuli in sylvis licentiam telum plectit, emissum venato-

ris manu. Arsit paulò post meum adventum Ilion. Reliqua nôsti. At verò calamitatis meæ memoria in animo meo vel tum alebat Ulyssis tam acerbum odium, ut omnis virtus eius extinguere non valuerit. Ceterùm aspectu filii, tam æqualis genitori, tam amandi mihi, emollior, ut & patrem amare incipiam.

## TELEMACHUS.

### LIBER XVI.

**D**Um casus suos Philoctetes commemorat, videbantur omnes sensus Telemachi suspendi. Certè ne minimo corporis motu dicenti obstrepuit. Hærebat totus in tam illustri persona Herois. Dissimillimos animorum sensus, qui iam Herculem, iam Philocteten invaserant; & aliàs Ulysses, aliàs Neoptoleum turbabant, omnes & singulos eo, quo in narrationis seriem incidebant, ordine in vultum Telemachi candor ingenuæ indolis induxit. Aliàs immemor sui, ignarusque quid ageret, vocem non integram interiecit loquenti. Aliàs videbatur toto animo cogitans ut fere, qui studiosè gravissima pensitant. Credi potuisset, cum Philoctetes Neoptoleum rudem ad simulationem, ideòque perplexum, commodiùs exprimeret, Telemachum eadem ambiguitate intricari, ipsùmque Neoptoleum rursus pudefieri in Telemacho.

At Adrastum Deorum fideique, qua commercia humana conflantur, contemptori, fœderatæ copię petebant cum industria. Difficillimum Telemacho erat, tot regibûs mutua æmulatione ferventibus,  
fatis